



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

Tit. XXXI. De Hymno Te Deum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

detur *DEO gratias*. Deinde dicitur Versus *Fidelium animæ*, qui Versus non dicitur post *Benedicamus Domino*, ad Primam ante *Pretiosa*, neque ad Completorium ante Versum *Benedicat*, nec quando post aliquam Horam immediatè sequitur Officium parvum *B. Mariæ*, vel Officium Defunctorum, aut septem Psalmi Pœnitentiales, vel solæ Litanïæ.

S. Unde Regula generalis est, ut, quotiescunque inter Orationes plures interponitur Antiphona, singulis vox *Oremus* præponatur, ut rursus invitatio fiat ad orandum; si vero nihil interponatur, ad solam primam Orationem ea vox dicatur.

IV. Si Oratio dirigatur ad Patrem, concluditur per *Dominum nostrum*: si ad Filium, *Qui vivis & regnas*: si in principio Orationis fiat mentio Filij, dicitur *Per eundem*: si in fine Orationis, *Qui tecum vivis & regnat*: si fiat mentio Spiritûs Sancti, dicitur *Unitate ejusdem Spiritûs Sancti*.

V. Quando plures Orationes dicuntur, prima tantùm dicitur sub sua conclusione, *Per Dominum*, vel aliter *t.* ut suprâ: aliæ non concluduntur, nisi in ultima Oratione, sed unicuique Orationi semper præponitur *Oremus*, præterquam in Officio Defunctorum, in quo alio modo, quàm ut suprâ *u.* Orationes dicuntur: item in Litanijis Orationes omnes dicuntur conjunctim sub uno *Oremus*, ut suis locis habetur.

T. Id est, per *Qui vivis*, aut *Qui tecum regnat*.

V. Intellige, sine *Oremus* cuilibet Orationi præmissio.

TITULUS XXXI.

DE HYMNO TE DEVM.

I. **H**ymnus *Te DEVM* *x.* dicitur in omnibus Festis per annum, tam trium, quàm novem

Lectio-

Lectio- num, & per eorum Octavas, excepto Feste SS. Innocentium. 7. nisi venerit in Dominica; dicitur tamen in ejus die Octava. Dicitur etiam in omnibus Dominicis à Pascha Resurrectionis inclusivè usque ad Adventum exclusivè: & à Nativitate Domini inclusivè usque ad Septuagesimam exclusivè: & in omnibus Ferijs temporis Paschalis, scilicet à Dominica in Albis usque ad Ascensionem, exceptâ Feriâ secundâ Rogationum, in qua non dicitur.

X. A S. Ambrosio compositus, & jussu Gelasij Pontificis in Officio decantari cœptus.

Z. Quia, cum ibi luctus Matrum ob interemptos Infantes conceptus repræsentetur, ideòque violaceus color adhibeatur, non decet hunc Hymnum utpote lætitiæ plenum usurpare.

II. Non dicitur autem in Dominicis Adventûs, & à Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusivè, neque in Ferijs extra tempus Paschale.

III. Cùm dicitur, omittitur semper nonum vel tertium Responsorium, & statim dicitur post ultimam Lectionem. a.

A. Versus *Sanctus*, quia primæ literæ rubro colore notantur, videtur alternatim in hoc Hymno cantandus juxta Gavantum s. 5. c. 19. num. 8. nisi aliud consuetudo loci exigat.

IV. Cùm non dicitur, ejus loco ponitur nonum vel tertium Responsorium: quo dicto statim inchoantur Laudes. Similiter quando dicitur *Te DEVM*, eo Hymno dicto statim inchoantur Laudes, præterquam in nocte Nativitatis Domini, quia tunc dicitur Oratio, postea celebratur Missa, ut suo loco notatur.

Instruct. II.

M

TITU-